



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 31. In Guairania multa fiunt memoratu digna.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

Socii affi-  
guntur.

In Guaira-  
niam ren-  
avigant.

CAPUT  
XXX.  
Jesu-Ma-  
rianum op-  
pidum ut  
cumque  
restaura-  
tur,

Nicolas  
Enartio pro-  
motore,

Et Simone  
Mageda.

CAPUT  
XXXI.  
In Guaira-  
nia multa  
fuit me-  
morata di-  
gna.

Peccata ca-  
stigata.

Lemo pug-  
nus.

tamdiu gestarent, quoadusque ad littoralis crepidinis apicem duarum leucarum itinere ē portu Sancti Vincentii evaderent. Ubi Piratinigam attigere, factō tumultu, Mamaluci Socios ab ingressu Collegii vi areuere, & in alteram domum deductos tamdiu detinuere, donec Collegii Rector eos ē custodia infimis precibus eximeret. Postquam verò Judex à Didaco Ludovico Oliverā, Brasiliæ Prætore, designatus advenerit, vix mortem ab nescio quo nebulone sclopero intentatam evasit. Auditæ quorumdam prædonum voces sunt, afferentium, se potius suum Baptisma abjuraturos, quam permitterent Prætoris diploma servari. Igitur Judex, desperato remedio, eō, unde venerat, rediit. Socii verò opprobiis affatim onerati, exiguo captivorum numero ex tot millibus impetrato, Piratinigani Collegii Patribus viaticum largè ministrantibus, secundo Aniembio ad Paranam, ē Parana ad Paranapanaei fluminis oppida post unius anni terrâ marique labores, factō etiam ibi, ubi Josephus Anchiera olim submersus fuerat, ad Aniembi scopulos naufragio, salvis corporibus navigavere.

**I**NTERIM Guairanæ Socii præteriti anni cladem novis operis sarcire satagantes, circum omnia nemora excutiebant, eo consilio, ut qui Mamalucorum metu fugerant, denuò reducerentur. Antonius Ruisius ad Sanctorum Michaëlis & Antonii ruinas, necnon ad Caávensem regionem excurrentes, aliquantulum Ethnicorum turbam Religioni Christianæ conciliavit. Sed spes eo tempore restaurandæ rei potissimum in Guiravera erat, qui posteaquam nescio quā proditionis suspiecione apud Socios se purgasset, luculenter ab Ruisio venia donatus, & in partianis remissus, tantam mox coēgit turbam, quanta suffecit ad reficiendum antiquo in loco Jesu-Marianorum oppidum. Ad quod reædificandum missus Ignatius Enartius Lotharingus, vir plane probus, egregie opus promovit, donec Simon Mageda ē Brasilia redux, post nunciatam ubique Mamalucorum pertinaciam, ad Huibai præcipiti proxima loca eo fine transferre Jesu-Marianum oppidum juberetur, ut remotiores ab prædonum excursionibus essent. Ibi igitur oppido & templo aedificatis, magnam adultæ gentis & puerilis ætatis multitudinem Christianis addidit.

**E**X Guairania reliqua multa præter morem nunciata sunt. Ad Paranapanæum fluvium juvenem quemdam, Angeli custodis, humanâ specie visendum se præbentis, monitis surdas aures præbuisse, & dæmonis familiaritatem plus illo æstimasse, idcirco sanum & vegetum, noctuque meretriculam quæritantem, derepentè diem suum obiisse. Juvenem Festis diebus audiendi Sacri negligenter à dænone tygridis specie exterritus, denique in negligentia pertinacem à vera tygride, adstantibus & incolubus amicis, discerptum, summo tamen Dei beneficio scelerata penitentia Sacramento ante mortem cluisse. Item feminam visu horridam, ulnis infantulum gestantem, sorori post mortem fese ostendisse, & assertisse se furti, contumeliaz, & prolicidii damnatam, ignibus æternis ardere: in cuius fidem ferramentum furto quondam ablatum, igne inferno cælens, sororis dextræ admovisse, impæcto simul criminum horrore. Ex Ibitirambeta etiam nunciabant, juvenem incestuosis cum matre & filia amoribus implicitum, sero facti penitentiam optasse. A tygride adulterum, intactâ adulterâ, dilaniatum, & puellam festæ dici negligentem, & alteram parentibus recte monentibus pervicacem, eodem fato perisse. Villaricæ, sub Hispani hominis, lenonis officio diu functi, mortem, auditum catenarum & vinculorum stridorem, ignemque visum per totam domum, omnibus adstantibus spectantibusque, vi invisibili dissipari (quæ terriculamenta etiam post mortem auditam sunt) tanto ad portentum visendum concurrentium hominum pavore, ut autoritate publicâ domas destruenda fuerit. Narrabant etiam pervicacis hominis in Indorum defensores maledicentiam, feedo in ore carcinomate cœlitus punitam. Horum prodigiorum ergo per totam Guairaniam diu & piè trepidatum est, Sacra diligentius adita, castimonia & justitia majori in pretio habitæ, & frequentius conscientiæ lustrata sunt. Præter quos penitentia fructus ingens numerus Barbarorum hoc anno Baptismum suscepit.

CAPUT